

## Unguentum Stibio-Kali tartarici.

*Unguentum Tartari stibiati.*

<i>R.</i> Stibio-Kali tartarici subtilissime contriti	
partem unam, . . . . .	1.
Adipis suilli partes quatuor. . . . .	4.
Exactissime misceantur.	
Sit unguentum albissimum.	

## Unguentum Zinci.

<i>R.</i> Zinci oxydati venalis partem unam, . . . . .	1.
Unguenti rosati partes novem. . . . .	9.
Exactissime misceantur.	
Sit unguentum albissimum.	

## Veratrium.

Veratrin.

Sit pulvis albus, calore ad massam resinae similem liquescens, ignitus sine residuo conflagrans. In aqua vix solubilis, in spiritu vini rectificatissimo facile, in aethere difficilius quidem, sed plane solvendus.

Cum acidis conjunctum Veratrium sales efficit, reationes neutras prodentes.

Odoris expers est, particula autem vel minima ad nasum appropinquata sternutamentum vehemens excitat.

In vasis bene clausis cautissime servetur.

### Vinum camphoratum.

**R.** Camphorae tritae, . . . . . 1.  
 Gummi Arabici pulverati, singulorum  
     partem unam, . . . . . 1.  
 Vini Gallici albi partes quadraginta octo. . . 48.  
 Camphorae et gummi exactissime mixtis inter con-  
 tinuam agitationem sensim affunde vinum.  
 Sit liquor turbidus, coloris albidi.

### Vinum Seminis Colchici.

**R.** Seminis Colchici grosso modo pulverati  
     partes quinque, . . . . . 5.  
 Vini Xerensis partes viginti quatuor. . . . . 24.  
 Semen colchici cum vino per dies octo maceratum  
 exprime; liquorem filtra.  
 Sit coloris e flavo fusi.

**Caute** servetur.

### Vinum Stibio-Kali tartarici.

*Vinum stibiatum. Vinum emeticum.*

**R.** Stibio-Kali tartarici partem unam, . . . . . 1.  
 Vini Gallici albi partes ducentas quadraginta. 240.  
 Solve stibio-kali tartaricum in vino, tum filtra.  
 Sit limpidum, coloris subflavi.  
 In vasis bene clausis **caute** servetur.